



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Caput I. De S. R. E. Cardinalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)



NOTITIA
CONGREGATIONUM
ET
TRIBUNALIUM
CURIÆ ROMANÆ.

CAPUT I.

De S. R. E. Cardinalibus.

Cum primus maximusque in Urbe
& Orbe Senatus sit Sanctum &
Apostolicum Collegium Cardi-
narium, cumque iidem purpurati Patres
præcipuarum Congregationum sint Ca-
pita summorumque Tribunalium in Cu-
ria Romana Præsides, aut certè nobi-
lissima istorum membra, quibus ipse
Pontifex Maximus in persona præsidet;
Visum est nonnulla hic de Cardinali-
bus præmittere, ex quibus plenior hau-
riri possit notitia Curia Romanæ, &
Tribunalium, quæ in ea sunt instituta.

A

S. I.

§. I.

De nomine Cardinalium.

1. & 2. *Cardinales à cardine dicti.*
3. *Præcipui in Clero Cardinales appellati.*
4. *Cardinalis nomen à loco ad Personas derivatum.*
5. *Quo tempore nomen Cardinalis inventum.*

I.

Dicuntur Cardinales à cardine. Cardio est axis, circa quem res aliqua volvitur regiturque; Sic cœli cardines dicuntur duo poli, circa quos immobiliter fixos, cœli machina rotatur. Ostii cardio est, in quo illud vertitur & regitur. Cardio quoque dicitur præcipuum, & summa rei. Hoc sensu S. Augustinus *l. 1. de Bapt. c. 6.* primarios Donatistarum Cardinales vocavit, & S. Ambrosius *lib. 5. in Luc.* præcipuas virtutes Cardinales dixit.

2. Utrâque acceptione Purpurati à cardine nomen *Cardinalis* trahunt; *Nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur, inquit Eugenius IV. Constit. Non mediocri.* Sunt etiam præcipui, qui Papæ in Ecclesia universali gubernanda

nanda assistunt. c. *Fundamenta* §. *deceat de elect.*
in 6. Dignitates enim Episcopales & Ar-
chi-Episcopales *privata unius patrie*
presunt utilitati, ista Cardinalium di-
gnitas publica totius populi Christiani:
illa unam duntaxat regunt Ecclesiam,
ista cum Sede Apostolica, universas,
ait idem Eugenius IV. l. c.

3. Hinc olim primarii & principales in
Clero *Cardinales* dicebantur; Ita Epi-
scopus & Clericus Cardinalis. c. *In nomi-*
ne Domini dist. 23. Sacerdos Cardinalis.
c. *Ministerium de offic. Archiepisc.* Presbyter
& Diaconus Cardinalis c. *Præsul. 2. q. 5.*
id est Archi-Presbyter & Archi-diaconus:
in ea nimirum Ecclesia, in qua plures
Presbyteri & Diaconi reperiuntur,
vel qui Ecclesiis præficiuntur, quæ cæ-
teris Principales erant; nominabantur,
Azor. p. 2. Inst. l. 4. c. 1.

4. Ex quo colligitur à loco derivatum
esse nomen Cardinalis ad personas, prout
clare quoque constat ex Concilio Mel-
densi *Can. 54.* sic statuente. *Ut titulos*
Cardinales in urbibus, vel suburbiis
constitutos Episcopus Canonice ordinet
& disponat. Idemque habetur ex Joan-
ne Diacono in vita S. Gregorii *lib. 3. c. 11.*

4 De Institutione Cardinalium.

ubi sic ait: *Cardinales violenter in paræciis forensibus ordinatos Gregorius in pristinum cardinem revocavit. Ubi cardinem vocat Titulum seu Ecclesiam Cardinalem.*

5. A S. Sylvestro Cardinalis nomen inventum esse creditur, cum ante illius tempora nulla hujus vocabuli mentio in monumentis, aut literis reperitur. Primum enim istius meminit sexta Synodus Romana anno 315: post conversionem Constantini sub Sylvestro celebrata. Quod nomen deinde eisdem Ecclesiæ Prælati attribuit Gelasius Papa, & refertur in *c. Presbyteri* 24. dist. ac sæpius Gregorius I. *c. Relatio* & seq. *c. Pastoralis*. 7. q. 1. & deinceps Stephanus IV. *c. Oportebat*. & seq. dist. 79. Nicolaus II. *c. In nomine Domini* dist. 23. aliisque.

§. 2.

De Institutione Cardinalium.

1. *Figura Cardinalium fuerunt Sacerdotes Levitici Ordinis.*
2. *Cardinales instituti sunt exemplo Apostolorum.*
3. *Et jure Divino.*
4. *Qui olim constituti sunt, & ad quid.*
5. *Post Constantinum M. crevit eorum honor & dignitas.*
6. *Ac.*

6. Acceperunt in commendam Beneficia.
7. Promoti ad Episcopatum vacabat Cardinalatus.
8. Deinde retinebant solum nomen.
9. Postmodum etiam Titulum Cardinalatus.
10. Non tamen Episcopi antea consecrati admittebant Cardinalatum.
11. Postea etiam presabant.
12. Et in commendam quoque accipiebant Episcopatus.
13. Creantur Cardinales à Summo Pontifice.
14. Ex omni Natione.
15. Super eorum promotione non sunt faciendæ Sponsiones.

I.

Figuram & typum Cardinalium tenuisse Sacerdotes Levitici generis inquit Innocentius III. in c. Pervenerabilem, qui fil. sint legit. dicens: *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis Fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione Sacerdotalis officii coadjutores existunt.*

2. Instituti verò sunt Cardinales exemplo Apostolorum, qui Christo Domino in terris tanquam Pontifici assistere videbantur. *Jacobat. de Concil. l. 1. n. 252.* Hinc eos Dominus *Fratres* suos appellat, *Matt. ult. in tentationibus Socios.*

A 3

Luc.

6 *De Institutione Cardinalium.*

Luc. 22. & amicos, quibus arcana communicaret. *Joan. 15. v. 15.* Post Christi ascensionem iidem Petro assistebant in administrandâ Ecclesiâ, sic *Act. c. 15.* legimus *Jerosolymis Apostolos & Seniores* convocasse, quibuscum de proposita legalium quæstione deliberavit. Apostolis verò dispersis per Orbem terrarum & fungentibus munere Episcoporum, Petrus sibi alios Coadjutores adscivit *c. s. Petrus 8. q. 1.* diciturque viginti quasi Senatores Romanæ Ecclesiæ ex Presbyteris & Diaconis Urbis Romanæ instituisse ad instar 24 Seniorum qui supra thronos in conspectu DEI sederunt *Apocal. cap. 4.* quos inter præcipui fuerunt Cletus, Linus, & Clemens. *cit. c. s. Petrus. Barb. Jur. Eccl. l. 1. c. 3.*

3. Ex his deducitur, Cardinales, ut sunt Summi Pontificis Adjutores & Consiliarii, Jure divino esse institutos, licet nomen, officium, Dignitas, & numerus eorum, distinctio Titulorum, aliaque privilegia, quibus Cardinales gaudent, jure humano & à Summis Pontificibus sint inducta. *Azor. p. 2. l. 4. c. 1.*

4. Ante tempora Constantini Magni instituebantur soli Presbyteri pro officii eorum, qui postea Cardinales dicti sunt, Habebant verò curam Baptismi & sepul-

tura

turæ fidelium, ut constat ex Anastasio Bibliothecario in vita Marcelli Papæ, assistebant Pontifici, & fungebantur officio Legatorum; In cæteris pares omnino erant reliquis Presbyteris.

5. Post Constantinum M. majorem aliis Presbyteris affecuti sunt Cardinales honoris & dignitatis prærogativam; Cessante enim persecutione in Ecclesiâ, deposuerunt curam particularem Baptismatis & sepulturæ, solo Legatorum munere functi sunt, & jurisdictionem exercuerunt in Presbyteros & Clericos suarum Parochiarum; Cumque ex eorum numero ordinariè eligerentur Pontifices, plurimum exinde crevit dignitas & auctoritas illorum.

6. Quare cum proventus Titulorum non sufficerent ad competentem eorum sustentationem, cœperunt in commendam accipere beneficia simplicia, Canonicatus, Archi-presbyteratus & similia.

7. Quod si quis in Episcopum eligeretur, eo ipso vacabat dignitas Cardinalitia tanquam inferior, & quod hæc incompatibilis censeretur cum Episcopatu, quandoquidem Episcopi in suis Ecclesiis residere, Cardinales vero Romano Pontifici assistere tenentur.

8. Post

8 *De Institutione Cardinalium.*

8. Postmodum vero promoti ad Episcopatum retinuerunt primum ex gratia nomen Cardinalitium relinquendo Titulum Presbyterii, solumque dicti sunt: *Sancta Romana Ecclesia Cardinales*, vel: *Cardinales in Ecclesia DEI.*

9. Deinde sub Alexandro III. cum viderent Cardinalatum gradum esse ad Papatum, & iustribuere ad eligendum Pontificem, retinuerunt cum Episcopatu & nomen & Titulum Cardinalis.

10. Nemo tamen, qui ante Episcopus consecratus esset, assumebatur ad Cardinalatum usque ad tempora Clementis V. ut refert Jo. Andreas. *in c. Cum aliquibus, de rescrip. in 6.* cum putarent per hoc descensum fieri ad gradum inferiorem.

11. At successu temporis cum Episcopi quoque ambirent dignitatem Cardinalitiam, repertus est modus Avinione, quo Sedes Apostolica translata erat, ut fierent etiam & dicerentur Cardinales alii Episcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi.

12. Dabantur quoque Cardinalibus in Commendam Episcopatus & Abbatia, & licet alias major fuerit dignitas Episcopi, quam Cardinalis, ut colligitur ex sexta Synodo Romana, & ex cap. *Cum Apostolus 6. de censibus*, praecedere coeperunt car-

Cardinales etiam non Episcopi ipsos Episcopos, cum jam plaris æstimaretur esse Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, quam esse Episcopum.

13. Creantur Cardinales à solo Summo Pontifice, ita ut eos nec collegium Cardinalium, nec Concilium generale, nisi forte auctoritate Papæ cum hujusmodi facultate congregatum sit, creare possit. *Barb. l. 1. Jur. Eccl. c. 3. n. 12.*

14. Eligendi vero sunt idonei ex omnibus Nationibus Christianitatis, quantum commodè fieri poterit. *Trid. Sess. 24. de reform. c. 1.* tum ut Pontifex melius Regnorum & Provinciarum notitiam ab iis haurire possit. *Sixtus V. Const. 50. Postquam §. 11.* tum ut quævis Natio suum habeat in Curia Patrem tutelarem & Protectorem. *Barb. l. c. n. 13.*

15. Super Cardinalium promotione nullæ fieri possunt sponiones seu excommiffæ, si quid in excommiffis deductum fuerit, piis locis applicandum est, Ecclesiasticisque Personis excommiffas facientibus pœna privationis beneficiorum imponitur à Gregorio XIV. *Const. 4. Cogit,* & tam illis, quam aliis huic Constitutioni contravenientibus excommunicationis pœna ab eodem infligitur.

§. 3.

§. 3.

De qualitatibus Cardinalium.

Cardinales debent esse 1. *Legitime nati.*

2. *Non infames.*

3. *Docti ac Probi.*

4. *Clerici in 4. Minoribus saltem constituti.*

5. *Non habeant Prolem, vel ex eâ Nepotem.*

6. *Non habeant Fratrem vel Patruelem viventem, qui sit Cardinalis.*

7. *Nec Nepotem ex Fratrem vel Sorore, nec Patruum aut Avunculum viventem in Collegio Cardinal.*

8. *Habeant qualitates requisitas in Episcopo.*

9. *Non sint bigami.*

10. *Sint minimum quatuor insignes Theologi ex Regularium ordinibus assumpti in eorum Collegio.*

Secundum constitutionem 50. Sixti V. Postquam requiruntur variæ qualitates in iis, qui ad Cardinalatus dignitatem assumuntur.

1. Ut legitimis & honestis sint exorti natalibus, adeò ut Illegitimi etiam per subsequens matrimonium legitimati, aut super defectu natalium auctoritate Apostolica dispensationem consecuti, inhabiles sint ad Cardinalatum.

2. Ne sint aliqujus criminis, aut infamiae

De qualitatibus Cardinalium. II

miæ nota reïpersi, nec defectum habeant, ob quem sine dispensatione ad sacros Ordines promoveri non possint.

3. Doctrina, vitæ probitate aliisque qualitatibus à jure requisitis sint præditi.

4. Clericali etiam charactere insigniti, & in 4. Minoribus ordinibus constituti per annum saltem ante promotionem habitum & tonsuram gestasse tenentur.

5. Si Filiam vel Fillum etiam ex Legitimo matrimonio, vel ex iis Nepotem habeant, promoveri non possunt ad Cardinalatum.

6. Frater, etiam ex uno Parente Germanus, vel Patruelis, Consobrinus aut Amitinus alicujus Cardinalis viventis, Cardinalis esse non potest.

7. Patruus aut Avunculus Nepotis ex Fratre vel Sorore Cardinalis viventis, atque etiam Nepos Patruï vel Avunculi prohibetur assumi ad Cardinalatum.

8. Juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de reform. c. 1.* Ea omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus sunt constituta, etiam in creatione S. R. E. Cardinalium exiguntur.

9. Ad Cardinalatus celsitudinem non solent

solent

12 *De numero Cardinalium.*

solent quoque bigami promoveri. Azor. p. 2. l. 6. c. 7. 4. ult.

10. Inter cæteros verò Cardinales, præter egregios utriusque juris aut Decretorum Doctores, esse minimum debent quatuor insignes Viri in sacra Theologia Magistri præsertim ex Regularibus & Mendicantium Ordinibus assumendi. Sixtus V. cit. Const. 50. Postquam, §. 9.

§. 4.

De numero Cardinalium.

1. *Cardinalium numerus in jure non est determinatus.*
2. *Olim putantur fuisse tantum duodecim.*
3. *Deindè viginti octo vel plures.*
4. *Postmodum eorum numerus valdè imminutus fuit.*
5. *At à tempore Bonifacii VIII, iterum crescere cæpit.*
6. *Quem demum Sixtus V. defini vit, ut non excederet septuagesimum.*
7. *Postea Clemens VIII, Septuaginta duas Ecclesias & Titulos Cardinalium designavit.*

I.

Cardinalium numerus in jure determinatus non reperitur, sed in arbitrio Summi Pontificis perspecta Ecclesiæ necessitate residet.

2. Olim

2. Olim, ut nonnulli tradunt duodecim juxta numerum Apostolorum fuerunt. *Vestrius l. 1. c. 1.* Quorum personas representant. *Sixtus V. Const. 50. Postquam.*

3. Deinde post Leonem I. usque ad Honorium II. viginti & octo Cardinales Presbyteros nec plures, nec pauciores fuisse refert *Quintanad. Ecclesiasticon lib. 4. num. 108.* Forte ob rationem quam adducit *Onuphrius* in opusculo de Cardinalibus, ubi ait: *Erant ab antiquo tempore Romanae quatuordecim Regiones, & quamvis tunc fortassis singulis Regionibus singuli Presbyteri praeficerentur, crescente tamen numero Christianorum, vel plures Ecclesiae in singulis Regionibus erectae sunt, vel duo in unaquaque Regione Presbyteri sunt constituti, ac propterea facti sunt viginti octo Tituli.* Quamvis *Plato de Cardinalis dignitate & offic. c. 2.* affirmet fuisse tres & quinquaginta usque ad tempora *Honorii II.*

4. Exinde hic ordo & numerus minui coepit, forsitan ob Schismata & seditiones, quae ex Cardinalium, ad quos Pontificis Romani creatio jam delata erat, mul-

multitudine in comitiis Pontificalibus oriebantur; adeo quidem, ut cum Nicolaus II. Pontifex renunciaretur, octo tantum Cardinales fuerint, quatuor Presbyteri & totidem Diaconi. *Quintanad. l. c.* & subiinde usq; ad Nicolai III. electionem septem tantum Cardinales extitisse, vacantesque Titulos vel ab Archi-Presbytero vel ab alio Cardinali Pontificis iussu administratos esse tradit Plato *l. c.*

5. Ab eo vero tempore rursus reflorescere, & augeri coepit numerus, ita ut certum sit Bonifacio VIII. sedente Cardinales fuisse viginti, & tempore Sixti IV. supra triginta, quem numerum Alexander VI. ad quinquagesimum perduxit. At cum Leo X. una vice unum & triginta creasset, numerus ad sexagesimum quintum ascendit, cui Paulus V. institutis novis Cardinalium titulis quinque adjecit, ut fuerint simul in vivis Cardinales omnino septuaginta, quem numerum deinde usque ad sextum supra septuagesimum Pius IV. extendit. *Epo. l. 1. de regal. in benef. Eccles. n. 191.*

6. Verum Sixtus V. dicta *Const. 50.* Postquam verus numerum septuagesimum definit exemplo 70. Seniorum, quos Dominus Num. 11. Moyse adjunxit ad onus Populi simul sustentandum adeo, ut

ut si unum vel plures in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem aut pronuciari contigerit, hujusmodi electionem nullam, irritam & inanem fore & censendam esse decreverit. Non tamen hic numerus necessario semper æquandus est, si pauciores ad omnia munera peragenda pares sint. *Paleot. de sac. Consist. p. 4. 4. 1. lit. A.*

7. Hoc numero septuagesimo definito à Sixto V. designavit postea Clemens VIII. septuaginta duas Ecclesias, Titulos & Diaconias S. R. E. Cardinalium, prout infra dicitur, & Archidiaconos, *in c. ubi periculum de elect. in 6.* alique existimant è re fore Christianæ Reip. si nunquam major habeatur numerus Cardinalium duobus & septuaginta, qui fuit numerus Discipulorum Domini.

§. 5.

De distinctione Cardinalium.

1. *Cardinales in tres ordines distinguuntur.*
2. *Qui non est Diaconus non fert suffragium.*
3. *Cardinales Episcopi consecrabant quidem Pontificem.*
4. *Sed olim non eligebant.*
5. *Neque ipsi eligebantur.*

6. *Dis-*

16 *De distinctione Cardinalium.*

6. Diaconi in primitiva Ecclesia fuerunt septem curam Eleemosynarum & reddituum habentes.
7. Quibus adjuncti sunt alii septem adjuutores Presbyterorum Cardinalium in Titulis eorum.
8. Et hi Cardinales Diaconi dicti.
9. Qui deinde quatuordecim constituti sunt.
10. Et ministrabant Pontifici.
11. Nomenque Cardinalium habebant à Regionibus, quibus præerant.
12. His postea adjuncti quatuor Palatini dicti.
13. Ac deinde plures à diversis Pontificibus.
14. Sed Sixtus V. contraxit numerum ad decimum quartum.
15. Qui omnes prærogativas Cardinalium habent.
16. Quæ præcedentia observetur inter Cardinales Episcopos, Presbyteros & Diaconos.

I.

Gradus & ordo Cardinalium triplex est, alii enim sunt Episcopi Cardinales, alii Presbyteri, alii Diaconi. Eugenius IV. Const. 15. §. 5.

2. Ideo qui saltem Diaconus non fuerit in Congregationibus Cardinalium, præsertim cum de eligendo Pontifice tractatur, suffragium ferre non potest. Clem. ut ii qui §. Illi 20. de etat. & qualit. Cui tamen Constitutioni derogare solent Pontifices, cum Cardinales creant. Atq;

in

potestate Romani Pontificis etiam Laicos non conjugatos in Cardinales assumere, qui postea Clerici ordinentur. *Barbosa.* aut juxta Const. 50. Sixti V. qui quatuor solum minoribus sunt insigniti.

3. De Episcopis Cardinalibus diximus supra, circa quod tempus primum instituti sint. Consecrabant quidem Pontificem Romanum Episcopi septem ejusdem Suffraganei & Urbi Romanæ finitimi, nimirum: Ostiensis, Portuensis, S. Ruffinæ, Tusculanus, Prænestinus, Sabinenfis, Albanensis & dicebantur ante Leonis IX. tempora *Cardinales Episcopi*, hoc est Primarii, sive Principales Episcopi, eo quod essent cæteris Episcopis celebriores & insigniores;

4. Sed ad electionem novi Pontificis non admittebantur, cui primum tanquam Electores intervenerunt tempore Alexandri III. *Barb. l. 1. Jur. Eccl. c. 3. n.*

45. *Lunador. in Relat.*

5. Neque etiam ante annum 891. electus fuit in Summum Pontificem aliter Diœcesis Episcopus, quod prius sæculis prohibita esset, & inconveniens judicaretur translatio Præsulis de urbe in alterum Episcopatum; Primus fuit Formosus Episcopus Portuanus, qui translatus & evehctus est ad sedem Romanam;

B

manam;

manam, nam antea eligebatur Pontifex ex Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, ut notavit Onuphrius in annot. ad Platianam in vitâ Formosi.

6. De Presbyteris Cardinalibus actum est superius, de Diaconis hic dicendum. Quemadmodum septem instituti sunt Diaconi ab Apostolis; ita septem permanserunt in primitiva Ecclesia usque ad tempora Constantini M. quorum primus Archi-Diaconus dicebatur; Omnes verò septem curam habebant Eleemosynarum & reddituum Ecclesiæ, quos colligebant Subdiaconi, ipsi verò asseruabant eos, & ex præscripto inter Clericos Cardinales Presbyteros, & Summum Pontificem distribuebant.

7. Postea cessante persecutione à tempore Constantini Imp. cum non sufficerent septem illi Diaconi, adjuncti sunt alii septem Diaconi Presbyteris Cardinalibus, qui eos adjuvarent & curam haberent reddituum Ecclesiæ in Titulis eorum & Regionibus Urbis; Cum autem Regiones fuerint quatuordecim singuli in duabus Regionibus serviebant.

8. Et omnes hi septem *Cardinales Diaconi* dicebantur, ita ut Diaconi Cardinales usque ad annum millesimum &

tem

tempora Sylvestri II. numerum septenarium non exceſſerint.

9. Subinde juxta quatuordecim Regiones, quatuordecim quoque Diaconi creati ſunt, ut ſingulis Regionibus ſinguli præfecti eſſent.

10. Qui (cum jam alii Officiales, in primis Archi-Diaconus, conſtituti eſſent pro colligendis distribuendisque redditibus Eccleſiæ) ſe curæ illorum omninò abdicarunt, & miniſtrare ſoliti ſunt Papæ, cantareque coram eo Evangelium quiſque in Eccleſia ſuæ Regionis, quando ad eam Pontifex ad cantandam Miſſam acceſſit.

11. Unde dicebantur Cardinales primæ, ſecundæ, vel tertię Regionis, pro ut appellabatur Regio, cui præfecti erant.

12. His adjuncti ſunt deinde quatuor alii Diaconi Cardinales, qui *Palatini* & *Altaris Miniſtri* dicebantur, quia in Baſilica S. Joannis Lateranenſis coram Pontifice cantabant Evangelium. Cum verò hi ædes ſuas contiguas haberent Eccleſiis & Oratoriis, quibus ſerviebant abſque curæ tamen animarum, quæ incumbebat Presbyteris, appellare ſe non à Regionibus amplius, ſed ab

ipsis Ecclesiis coeperunt hoc modo:
Petrus Diaconus Cardinalis S. Adriani.
Onuph. in lib. de sept. Eccles. Barb. l. 6. n. 47.
Lunador. Azor. p. 2. l. 4. c. 1. q. 6.

13. Fuerunt ergo Cardinales Diaconi octodecim quingentis circiter annis a tempore Paschalis II, usque ad Paulum III, qui anno 1545. hunc numerum uno auctiorem fecit, ut essent novendecim & Pius IV. subinde additis Diaconis sex ad 25. eum produxit.

14. Verum Sixtus V. in *Const. 55. Religiosa Sanctorum* statuit ut in posterum Cardinales Diaconi solum essent, ut olim, quatuordecim, juxta veterem Regionum Urbis numerum, & ne Presbytero Diaconia, aut Diacono Titulus posthac daretur.

15. Crescente vero auctoritate Cardinalium Presbyterorum, crevit & Diaconorum auctoritas, cum & nomen omnes prerogativas habeant Cardinalium, & in electione novi Pontificis suffragium suum ferant.

16. Cardinales Episcopi praecedunt Cardinales Presbyteros, hi Cardinales Diaconos. Inter Episcopos praecedit is qui antiquior est in Ordine Episcopali inter Cardinales vero Presbyteros & Diaconos praecedunt illi, qui primi pro

moti fuerunt ad purpuram, & si plures simul creati sint, habebit is primas, qui prior nominatus fuit. Cum autem frequenter contingat, ut, qui elevatus fuit ad Cardinalatum, dum esset Diaconus, postea fiat Presbyter, hoc casu transit statim ad locum promotionis suæ, præceditque omnes Presbyteros, qui post eum Cardinales creati sunt. At vero Cardinales Episcopi præcedunt, qui primi acceperunt Characterem Episcopalem, etiam illos qui prius promoti sunt ad Cardinalatum, si posteriores sint consecrati Episcopi. *Franc. Sestini il Maestro c. 5.*

§. 6.

De Ecclesiis & Titulis Cardinalium.

1. *Tituli sunt Ecclesie, à quibus Cardinales dicebantur.*
2. *Diaconie non appellabantur Tituli.*
3. *Numerus Titulorum paulatim in Ecclesia crevit.*
4. *Honorius II. statuit numerum Episcoporum Cardinalium.*
5. *Quæ eorum nomina & Tituli.*
6. *Nunc solum sex Tituli sunt Cardinal. Episcoporum.*

B 3

7. In-

22 *De Titulis & Diaconiis Cardinal.*

7. *Inter hos eminent Hostiensis.*
8. *Presbyterorum Tituli quot sint.*
9. *Quot sint Diaconie.*
10. *Referuntur Ecclesiæ, Tituli & Diaconie Cardinalium.*
11. *Unus Titulus Presbyteralis supernumerarius est.*
12. *Et una Diaconia supernumeraria.*
13. *Olim Diaconus non habebat Titulum Presbyteralem, nec Presbyter Diaconiam.*

I.

Quantum ad Titulos & Diaconias S. R. E. Cardinalium prænotandum est, Titulos olim Urbis templa sive Ecclesias dici solitas fuisse, quibus qui præerant Presbyteri animarum curam habentes & Sacramenta administrantes sic v. g. nominabantur: *Laurentius Presbyter Tituli S. Marcelli*, ac postea, cum Presbyteri Cardinales, hoc est Principales dicti sunt ad distinctionem aliorum Titulorum sive in Urbe, sive extra Urbem erectorum, scripserunt se v. g. *Laurentius Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli*.

2. Diaconia quamvis essent ædes sacræ in honorem Sanctorum dicatæ, Tituli tamen non dicebantur, quia Diaconi, qui earum præfecti erant, animarum curam non habebant, sed alia de-

man-

mandata sibi munia in sua Regione obibant, & Pontifici sacris operanti præsto erant ut dictum est supra, *Barb. Azor II. cc.*

3. Tituli ab Evaristo, qui anno 112. ad Cathedram evectus est, primum instituti atque dispositi traduntur. *Cellotius de Hier.* l. 4. c. 8. Numerus vero Titulorum paulatim increvit secundum propagationem fidei. Dionysius Papa circa annum 260. quatuordecim definivit, & inter Presbyteros divisit.

4. Marcellus deinde decimum quintum Titulum addidit; Sedente autem Julio viginti octo instituti sunt, qui numerus Titulorum totidem Presbyteros Præfectos habentium perseveravit usque ad Honorium II, qui anno 1125. constituit septem, vel octo Episcopos Cardinales ad utilitatem & splendorem Ecclesiæ, ac specialiter, ut Papæ, solenniter in Lateranensi Ecclesia celebranti assisterent.

5. Nomina verò Episcoporum Cardinalium & Tituli erant: Ostiensis, Veliternus, Sylvæ candidæ, alias Sanctæ Ruffinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, Albanus.

7. Nunc verò sunt sex solummodo eo quod auctoritate Eugenii tertii Ecclesia Veliterna adjuncta sit Ostiensi, & Ecclesia

fia

24 *De Titulis & Diaconiis Cardinal.*

sa Sanctæ Ruffinæ, alias Sanctarum Virginum Ruffinæ & Secundæ tempore Calixti II, conjuncta sit cum Ecclesia Portuensi. *Onuph. lib. de sept. urbis Eccl. cap. 1.*

7. Inter hos magno in honore est & eminent Hostiensis, cujus est ab antiquo tempore, ut ait Augustinus *Ep. 165* Romanum Pontificem consecrare, proindeque ipse inter Episcopos solus pallio quod est Archi Episcopi insigne, utitur ex Marci Papæ instituto, ut testatur Damasus.

8. Presbyterorum Cardinalium Tituli olim fuerunt viginti octo, postea per cit. *Const. 55*. Sixti V. *Religiosa Sanctorum Tituli* quinquaginta præscripti sunt.

9. Diaconorum demum veteres Diaconia primum fuisse videntur quatuordecim, ac deinde octodecim, ut colligitur ex supradictis *num. 12*. Sixtus V. vero Diaconias ad 14. secundum numerum Regionum Urbis reduxit. *cit. Const. 55*.

10. Barbosa *Jur. Eccl. Lib. 1. c. 3*, refert Ecclesias, Titulos & Diaconias S. R. E. Cardinalium à Clemente Papa VIII, & à sacra Rituum Congregatione probatas die 30. Augusti 1602, ac à Paulo V. confirmatas anno 1618, ut in Libello impresso

presso Romæ in Typographia R. Camerae
Apostolicæ eodem anno contentæ fue-
runt, & hic subnectuntur :

Ecclesiæ Sex.

Ostiensis.

Portuensis.

Tusculanensis.

Sabinensis.

Prænestinensis.

Albanensis.

Tituli Presbyterales LI.

Sanctæ MARIÆ Angelorum in Thermis.

Sanctæ MARIÆ trans Tyberim.

Sancti Laurentii in Lucina.

Sanctæ Praxedis.

Sancti Petri ad vincula.

Sanctæ Anastasiæ.

Sancti Petri in monte aureo.

Sancti Honuphrii.

Sancti Sylvestri in Campo Martio.

Sanctæ MARIÆ in via.

Sancti Marcelli.

Sanctorum Marcelli & Petri.

Sanctorum duodecim Apostolorum.

Sanctæ Balbinæ.

Sancti Cæsarei.

Sanctæ Agnetis in Agone.

Sancti Marci,

San-

26 *De Titulis & Diaconis Cardinal.*

Sancti Stephani in Cœlio monte.
Sanctæ MARIÆ trans Pontinæ.
Sancti Eusebii.
Sancti Chryfogoni.
Sanctorum quatuor Coronatorum,
Sanctorum Quirici & Julitæ.
Sancti Calixti.
Sancti Bartholomæi in Insula.
Sancti Augustini.
Sanctæ Cæciliæ.
Sanctorum Joannis & Pauli.
Sancti Martini in Montibus.
Sancti Alexii.
Sancti Clementis.
Sanctæ MARIÆ de Populo.
Sanctorum Nerei & Achillei.
Sanctæ MARIÆ de Pace.
Sanctæ MARIÆ in Ara cœli.
Sancti Salvatoris in Lauro.
Sanctæ Crucis in Hierusalem.
Sancti Laurentii in Pane & Perna.
Sancti Joannis ante portam Latinam.
Sanctæ Pudentianæ.
Sanctæ Priscæ.
Sancti Pancratii.
Sanctæ Sabinæ.
Sanctæ MARIÆ super Minervam.
Sancti Caroli.
Sancti Thomæ in Parione.
Sancti Hieronymi Jlyricorum.

San

Sanctæ Susannæ.

Sancti Sixti.

Sancti Matthæi in Merulana.

Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio.

Diaconiæ XV.

Sancti Laurentii in Damaso.

Sanctæ MARIÆ in via lata.

Sancti Eustachii.

Sanctæ MARIÆ novæ.

Sancti Hadriani.

Sancti Nicolai in carcere Tulliano.

Sanctæ Agathæ.

Sanctæ MARIÆ in Dominica.

Sanctæ MARIÆ in Cosmedin.

Sancti Angeli in foro piscium.

Sancti Gregorii ad velum aureum.

Sanctæ MARIÆ in Portico.

Sanctæ MARIÆ in Aquiro.

Sanctorum Cosmæ & Damiani.

Sancti Viti in Marcello.

II. Observandum vero cum Ecclesia S. Laurentii in Damaso perpetuo assignata sit à Clemente VII. Vice-Cancellario pto tempore existenti, sive is Diaconus sit, sive Presbyter, sive etiam Episcopus, ideo unus Titulus Presbyteralis supra numerum additus est, ne aliquando alicui Presbytero Cardinali proprius Titulus desit, *cit. Bulla 55. Sixti V.*

12. Et

12. Et Diaconia S. Laurentii in Damaso supra numerum est 14. Diaconiarum, ne contingat ut unus Diaconus careat Diaconia. Si enim Vice-Cancellarius consecratus Episcopus esset, & inter eos numeraretur, decimus quartus Diaconus sine Diaconia foret, nisi Ecclesia S. Laurentii in Damaso, quæ perpetuo concessa est Vice-Cancellario, supra numerum 14. Diaconiarum foret. Rursus si Vice-Cancellario habenti solum ordinem Diaconalem conferretur Titulus Presbyteralis, nisi forent Tituli 51. quinquagesimus Presbyter sine Titulo esset.

13. Sciendum namque antiquissimam esse consuetudinem quingentorum circiter annorum usque ad Sixtum IV. ne Diaconus potiretur Titulo Presbyterali, nec Presbyter Diaconiâ, cum committi non possit Diacono cura animarum. Sixtus IV. vero primus fuit, qui confundit Titulos cum Diaconiis, concedendo Diaconis Titulos, & Presbyteris Diaconias; Tunc tamen Diaconi non usurpant nomen *Tituli*, licet Titulum habeant Presbyteralem, & Presbyteri licet Diaconiam solum possideant hoc nomen *Tituli* adiungunt.

S. 7.

De vestitu Cardinalium.

1. *Habitus Card. primo communis fuit ceteris Presbyteris.*
2. *Innocentius I V. dedit quibusdam pileum rubrum.*
3. *Qui deinde concessus est omnibus.*
4. *Paulus II. vestes purpureas & biretum rubrum aliaque ornamenta addidit.*
5. *Gregorius XIV. promotis ex Regularibus dedit quoque biretum rubrum.*
6. *Qualem hi habitum gestent.*
7. *Et qualem promoti ex Societate JESU.*
8. *Nemo præter Cardinales uti potest pileo rubro.*
9. *Utuntur Cardinales hoc tempore habitu coloris vel rubri vel violacei vel subrubri.*
10. *Ex qua materia sit vestitus eorum.*
11. *Cum toga violacea utuntur quoque pileo violaceo.*
12. *Quo colore utantur in luctu.*
13. *Rubræ togæ jungitur Pileus subruber.*
14. *Quando utantur colore violaceo.*
15. *Et quando rubro.*
16. *In Ecclesiis Titularibus rubris vestiuntur.*
17. *Legati à Latere quo colore utantur.*
18. *Diebus Indulgentiarum & in Jubilæo quem colorem adhibeant Card.*

19. In

19. In equitatione solenni qualem habitum & colorem gestent.
20. Et qualem dum Legatum, vel novum Cardinalem excipiunt.
21. Si in Ecclesia Titulari cujusdam Card. celebretur Capella, quo colore hic Cardinalis utatur.

I.

Cardinales ante Innocentium IV. habitu usi sunt reliquis Presbyteris usitato & ordinario, qui accessit ad habitum Monachalem *Lunador*.

2. Innocentius IV. verò tradidit eisdem cum ad Terras Ecclesiæ regendas mitterentur, rubrum galerum circa annum Domini 1244. ut auctor est Platina, Genebrardus alique, qui etiam in Concilio generali Lugdunensi primo tredecim Cardinalibus à se creatis rubrum illum pileum concessit ad significandum, eodem etiam caput suum, ubi opus, pro Ecclesiastica libertate tuenda offerre debere, præsertim eo tempore, quo Romana Ecclesia à Friderico III. Imp. vehementer oppugnabatur. *Azor. p. 2. l. 3. c. 3. 4. 15.*

3. Post ea tempora omnibus Cardinalibus vel per consuetudinem, vel expressam concessionem galerus rubeus permissus est. *Barb. l. c. n. 8.*

4. Pau

4. Paulus II. deinde vestes purpureas & biretum rubrum omnibus Cardinalibus (non tamen Regularibus biretum) anno 1464. addidit, & ut panno cocci-
neo mulas suas, cum iis utuntur, sterner-
re possint, & uti stapedibus deauratis
eisdem concessit.

5. Postea Gregorius XIV. anno 1519.
9. Junii rubra quoque bireta dedit Car-
dinalibus ex ordinibus Regularium as-
sumptis, qui hucusque usi fuerant bire-
to ejusdem coloris, cujus erat habitus
Religionis, in qua fuerant professi.

6. Investibus verò Religionis suæ co-
lorem observant, excepto caputio, quod
rubrum est, & materia formaque similis
est illi, qua cæteri Cardinales utuntur,
non tamen gestant rochettum, sed loco
illius induunt Cottam cum largis ma-
nicis.

7. Patres tamen Societatis JESU, cum
certum habitum ex regula non gestent,
promoti ad Cardinalatum, eodem cum
aliis Cardinalibus habitu utuntur, pro ut
vidimus in *Joanne de Lugo & Sfortia
Pallavicino.*

8. De reliquo ex decreto Pauli II. ne-
mo præter Cardinales sub proposita pœ-
na gestare potest pileum rubrum, & in
cap. illud. dist. 93. præcipitur, ne reliqui
Cle-

Clerici utantur Cardinalium insigniis absque Pontificis concessione. *Azov. Barb. ll. cc. Lunador.*

9. Utuntur verò Cardinales hoc tempore habitu duplicis coloris ordinariæ, rubri & violacei, exceptis Dominica tertia Adventus, quæ est lætitiæ, cum cantetur in Introitu: *Gaudete in Domino semper*, & quarta Quadragesimæ, quia est privilegiata ob benedictionem rosæ, quibus subtanis, mantelletto & mozzetta, & post meridiem pallio utuntur coloris subrubri, seu rosæ siccæ ut vocantur qui ex prædictis mixtus videtur.

10. Materia est vel pannus laneus gravior seu levior, quam Sajettam vocant vel camelottum undatum, vel etiam pro subtanis tela serica simplex, orme sinum dictum, non autem holosericum quod rasum aut villutum appellant.

11. Cum toga violacea utendum est. Pileus cum limbis aureis, & spira reliquæque ejusdem coloris sunt, idque ex consuetudine, cum non reperiatur concessum esse privilegium Cardinalibus utendi pileo violaceo.

12. In luctu violaceo quoque colore sed sine omni auro etiam in limbo pilei utuntur, & per decretum Alexandri VII editum

editum 13. April 1655. prohibetur Cardinalibus usus nigrarum vestium lugubrium, quo ad ipsorum personas, & iungitur, ut toto anni tempore in pileis communibus & equorum lemniscis, vulgò Floccis, rubeum colorem semper adhibeant.

13. Rubræ togæ, jungitur Pileus subrubri coloris cum consuetis ornamentis. Nam rubro pileo auro ornato solus utitur Pontifex. *Barb. de jure Eccl. l. 1, c. 4. n. 86. Lunador.*

14. Per totum Adventum, excepta Dominica tertia, à septuagesima usque ad tempus Paschale, omnibus feriis sextis, vigiliis, quatuor temporibus, die commemorationis animarum, & in exequiis, quibus assistunt, violaceo utuntur colore, nec subtanam seu tunicam ex filo serico gestare permittitur. Excipiuntur tamen ab hac regula quatuor tempora proxime post Pentecosten: Festa duplicia, quæ in feriam sextam incidunt extra Adventum & Quadragesimam: Festum Annunciationis, cum in quadragesimam incidit, & Vigilia Nativitatis Domini, quando rubro utuntur vestitu.

15. Coloris verò rubei usus est omnibus anni diebus in supra dicta regula non

C

con-

contentis, atque etiam quotidie à vigilia Nativitatis Domini usque ad octavam trium Regum, à Dominica Paschatis usque ad Festum SS. Trinitatis, per totam octavam Corporis Christi, & Assumptionis DEIparæ, omnium Sanctorum, Patroni Urbis Romæ, & Ecclesiarum Titularium; Die creationis & coronationis Papæ; Festo Cathedrae S. Petri, aliisque sollemioribus, ac diebus publicæ lætitiæ dedicatis, in quocunque tempus aut feriam inciderint extra septimanam Sanctam, quando ejusmodi sollemnitates institui non solent

16. Præterea cum in Ecclesia sua Cathedrali vel Titulari officio divino assistunt, aut intersunt processionibus publicis rubro vestiuntur, licet Collegæ forte præsentibus violaceo induti essent, dummodo non sint dies exempti juxta superius dicta.

17. Legati à Latere extra Italiam quolibet die pro arbitrio suo uti possunt colore, vel purpureo, vel violaceo.

18. Diebus jejunii & indulgentiarum in forma Jubilæi etiam extra Adventum & Quadragesimam prima septimana violaceus habitus adhibetur. Et in Jubilæo anni Sancti visitantes quatuor Urbibus Ecclesias extra tempus Paschale violaceo

laceo utuntur, cum actus sit pœnitentiæ.

19. Quando Pontifex equitat ritu solenni, ut in Festo Annunciationis DEIPARÆ, Cardinales mulis vecti cappa seu tunica rubra vestiuntur. Extra solennem equitationem pallij & mozzetti supra rochetum usus est cum pileo simplici, non Pontificali coloris illius, quem tempus exigit.

20. Cum Legatum aliquem Cardinalem, vel recenter creatum deducunt, habitu utuntur violaceo, quem etiam gestant cum mulis vehuntur ad Consistorium publicum, rubrum vero quando ad Capellam solennem deferuntur, licet sint in luctu, extra tamen Adventum & quadragesimam; Muli quoque pro temporum diversitate sternuntur lacerna vel rubra vel violacea.

21. Si in Ecclesia aliqua Titulari celebretur consueta Pontificis Capella, puta, die Cinerum in S. Sabinæ: Aut ad S. MARIAM de Minerva in festo Annunt. B. M. V. Vigiliis, vel exequiis Principum Sæcularium, Cardinalis Tituli illius Ecclesiæ, etiam Pontifice absente eodem cum reliquis colore utetur, tenebitque locum sibi debitum ratione promotionis.

§. 8.

De Cardinalium dignitate, officiis & honorum Titulis.

1. Ex quibus colligatur dignitas Cardinalium.
2. Digniores sunt Prælati Ecclesiastici, quam Officiales politici.
3. Cardinales æquiparantur Regibus.
4. Officia denotant eorum dignitatem.
5. Eligunt Pontificem.
6. Expellere possunt Papam Simoniace electum.
7. In Schismate possunt convocare Concilium.
8. Sede vacante regunt Ecclesiam.
9. Assistunt in regimine Summo Pontifici.
10. Legatione funguntur Apostolica.
11. 12. 13. 14. & 15. Variis honorum Titulis ornantur.

I.

Dignitatem Cardinalium æstimare licet primò ex comparatione cum dignitate sæculari & politica. Deinde ex officiis, quibus funguntur Cardinales; Demum ex honorum titulis quibus iidem decorantur.

2. Cum enim multo dignior & nobilior sit Hierarchia Ecclesiastica, quam status politicus, digniora quoque erunt membra ejus & Prælati, qui in ea præfulgent.

3. Hic

3. Hinc Regibus æquiparantur Cardinales. *Jacob. de Conc lib. 1. art. 1. n. 1.*

4. Officia quoque Cardinalium summam eorum dignitatem denotant.

5. Nam in locum defuncti Pontificis alium eligunt, & subrogant in Sede Apostolicâ Successorem. *c. In nomine 1. dist. 23. c. Licet 6. de Elect.*

6. Potestatem habent Pontificem pecunia, metu, aut favore intrusum expellendi & alium substituendi. *c. Si quis pecunia, dist. 71.*

7. In Electione plurium & schismate licet illis Concilium cogere & decidere controversiam. *Const. Nicolai II. Barb. Collect. Decis. Apost. 131.*

8. Pontifice è vivis sublato ipsi regunt Ecclesiam, usque dum alius in Sede Apostolica surrogatus fuerit. *c. Licet, de Elect. c. ubi periculum eod. in 6. c. In nomine dist. 23.* Non tamen possunt novas præscribere leges toti Ecclesiæ, sed ea tantum ordinare, quæ ad electionem Pontificis, defensionem Ecclesiæ, & avertenda pericula pertinent. *Clem. Ne Romani de Elect. c. C. ubi periculum eod. in 6.*

9. Assistunt Summo Pontifici, eumque in Ecclesia universali gubernanda adjuvant. *c. Fundamenta §. decet, de Elect. in 6.* Ideoque judicant totum Orbem, ipsi

vero non nisi à Papa judicantur. *c. Per Venerabilem, qui fil. sint legit.*

10. Iphis solis committuntur Legationes Apostolicæ cum multis gratiis & privilegiis, de quibus infra §. *de Legatis.*

11. Ob hanc Officiorum eminentiam variis quoque & eximiis titulis honorantur, dicunturque Cardinales, qualia Cardines Ecclesiæ. *Sixtus V. Const. 50. super quibus universi Orbis machina volvatur.*

12. Collaterales & Coadjutores Summi Pontificis. *S. Bern. l. 4. de Consid. c. 1. & penul. de offic. Legati in 6. Principales Assessores, Consiliarii, & in executione principalis officii Cooperatores. Tit. Elect. in 6. Ut de iis dici possit illud 1. Reg. Domini sunt Cardines terræ, & posuerunt super eos Orbem.*

13. Ideoque Pontifex Cardinales Episcopos *Fratres* appellat, etiam Diaconos & Presbyteros, si eos cum Episcopis conjunctos alloquatur. *Glos. in c. 1. V. Fratres de renunt. in 6. & Glos. in Extrav. Execrabilis V. Cum Fratribus de præb.*

14. Carolus Magnus: *Reverendissimos Clericos* eos compellavit, dum in Edicto suo: *Viris diversi Ordinis Reverendissimis Clericis S. R. E. servientibus*

tibus illud culmen singularis potentia,
& praecellentiae habere sancimus, cujus
amplissimus noster Senatus videtur glo-
ria adornari, id est Patricios & Consu-
les effici: nec non & ceteris dignita-
tibus imperialibus eos promulgamus de-
corari & sicut imperialibus extat deco-
rata militia, ita Clerum S. R. E. ador-
nari decernimus.

15. Demum Urbanus VIII. 1650. 10.
Jun. in Consistorio secreto *Eminentissi-
mi & vestrae Eminentiae* titulo eosdem
auxit.

§. 9.

De privilegiis Cardinalium.

1. Cardinales plurimis gaudent Privilegiis.
2. Habent jurisdictionem Episcopalem & possunt conferre ordines minores in Ecclesiis Titularibus.
3. Etiam Cardinales Archi-Presbyteri, in Patriarchalibus suis.
4. Ledentes Cardinalem excommunicati sunt.
5. Cardinalis reus à quot condemnari debeat.
6. Non tenentur regulis Cancellariae
7. Liberant reos obvios qui ad supplicium ducuntur.
8. Ab eorum sententia non appellatur.

9. Af-

9. *Afferenti se Legatum esse creditur.*
10. *Habent reditus ex Camera.*
11. *Sententiis in Constit. generali latis non comprehenduntur.*
12. *Liberati sunt à patria potestate.*
13. *In Ecclesiis suis exercent jurisdictionem ante captam possessionem.*
14. *Intestamentis non servant solemnia.*
15. *Afferenti aliquid actum coram Papa creditur.*
16. *Quando Concilium congregent.*
17. *Lites inter illos à Papa deciduntur.*
18. *Assistentes Pontifici habentur residentes in beneficiis.*
19. *Sunt liberi à decimis.*
20. *Fruuntur privilegiis Episcoporum.*

1.

Quam plurimis gaudere privilegiis Cardinales notum est; Sunt qui ducenta enumerent, alii paucioribus contenti; Præcipua referemus ex Barbofa lib. 1. *Fur. Eccles. c. n. 33. & seqq.* aliisque.

2. Jurisdictionem habent Episcopalem in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, aliisque eorum Titulis subjectis *c. His que II. de majori. & obed.* Possunt quoque etiam si Episcopi non sint, conferre omnes ordines minores in propriis Titulis, suis subditis & Familiaribus.

3. Etiam Cardinales Archi-Presbyterorum

titulum Ecclesiarum Patriarchalium: S. Joannis Lateran. S. Petri, & S. MARIÆ majoris in Urbe ex privilegio, & consuetudine iisdem gaudent prærogativis in Ecclesiis suis, quibus alii Cardinales in suis Titularibus.

4. Qui Cardinalem offenderint in Persona, aut ad hoc consensum vel auxilium præstiterint, ut rei læsæ Majestatis puniuntur, & ipso jure excommunicati sunt. *c. Felicis de pæn. in 6. Bulla cænæ Dom.*

5. Episcopus Cardinalis, si graviter latur non nisi 72, Presbyter 64, Diaconus 27, testibus, qui non sint infames convictus condemnari potest. *c. Præsul. 2. q. 5.*

6. Non tenentur regulariter Regulis Cancellariæ, nec aliis Constitutionibus generalibus, odiosis & pœnalibus. *Reg. 67. num. 68. Cancell.*

7. Privilegium ex consuetudine habere dicuntur, ut si reo ad patibulum ducto occurrant, eumque veste aut pileo tegant immunis dimittatur. Excipiuntur damnati ob crimen falsi, hæresis, læsæ Majestatis, & quodlibet crimen atrox. *Duen. Reg. 81. Julius Clarus tamen nunquam id à se visum testatur. l. 5. §. fin. cap. 98.*

8. A Sententia ex voto Cardinalium lata non datur appellatio.

9. Cardinali asserenti se esse Legatum creditur, etiamsi litteras suæ Legationis non exhibeat. *c. Nobilissimus dist. 91.*

10. Cardinales habent partem reddituum Cameræ Apostolicæ. *c. ubi periculum §. Provisiones de elect. in 6.* Cardinales inopes à Summo Pontifice alendi sunt, quia convenit membris à capite succurrere. *Azor p. 2. lib. 4. c. 3. 4. 20.* Tales ferè sunt promoti ex Ordinibus mendicantium, & qui carent redditibus commendarum & Episcopatum.

11. Sententiâ suspensionis vel interdicti motu proprio, vel in Constitutione generaliter promulgatâ Cardinales non afficiuntur, nisi specialis eorum mentio facta sit.

12. Electus in Cardinalem, eo ipso à patriâ potestate est liberatus.

13. Cardinales in commissis sibi Ecclesiis à Sede Apostolica possunt beneficia conferre, & jurisdictionem exercere ante captam possessionem & ostensionem litterarum.

14. Cardinales in testamentis condendis gaudent militum privilegio: nec legibus civilibus, quæ certam formam præscribunt, obstricti sunt. *Azor. l.c.*

15. Car

15. Cardinali asserenti aliquid actum in præsentia Papæ, vel sibi vivæ vocis oraculo à Papa mandatum fuisse, credi debet.

16. Cardinales orto schismate Concilium congregare possunt.

17. Lites & causæ inter Cardinales à Summo Pontifice appellatione remota decidendæ sunt. *Paulus IV. Const. Cum sæpius.*

18. Cardinales, qui in Curia Romana Pontifici assistunt, non tenentur residere in beneficiis, nisi illis adjuncta sit cura animarum, quia agnoscuntur pro residentibus. *Azor. l. c. lib. 3. c. 4. q. 3.*

19. Sunt liberi à solutione decimarum, & obsequio charitativo à Papa imposito. *Lancel. l. 2. c. 2.* Tenentur tamen contribuere de fructibus beneficiorum pro Seminario in Diocesi, ubi erigitur. *Trid. Remiss. Sess. 23.*

20. Privilegia omnia, Episcopis ob status dignitatem concessa, ad Cardinales extenduntur. *c. Quia periculum, de sent. Excomm. in 6.*

§. 10.

De sacro Collegio Cardinalium.

1. Cardinales constituunt sacrum Collegium.

2. Com-

44 *De Collegio Cardinalium.*

2. Comparatur supremo Senatui Romanorum.
3. Decanus ejus olim erat antiquior in Ordinatione.
4. Nunc est antiquior præsens in Curia tempore vacationis.
5. Decanus præcedit ceteros.
6. Traditur ei una Clavis ærarii Ecclesiæ.
7. Quam discedens longius ab Urbe tradit Secretario.
8. Unus Card. est Camerarius Collegii.
9. Ejus Officium.
10. Est in hoc Collegio Secretarius Clericus Italianus, quod ejus Officium.
11. Idem quoque est Secretarius Congregationis super provisionibus Consistorialibus.
12. Estque familiaris Pontificis.
13. Et interest Congregationibus Cardinalium.
14. Asservat registra Consistoriorum Secretorum.
15. Quibus ipse quoque interest.
16. Quid pro emolumento accipiat à Cardinalibus.
17. Clericus Nationalis ex quibus eligatur.
18. Ejus Officium.
19. Quod durat ptr annum.
20. Quid pro emolumento suo habeat à Cardinalibus.
21. Computistæ officium, & quid percipiat.
22. Ex Collegio Cardinalium primarii Officiales eliguntur.

23. Qui

23. Qui tamen ob officia illa non habent prerogativam in Collegio.

24. Ex hoc Collegio nominantur quoque Legati de Latere.

I.

EX Cardinalibus, de quibus hucusq; factum, constituitur supremus ille Senatus, qui *Maximus* dicitur, & *Sacrum Collegium*, quod gremium Romanæ Ecclesiæ, c. *In nomine Domini dist. 23.* Summum & excelsum à Romano *Consil. 448. n. 11.* & Membrum honorabilius, quod habet Ecclesia DEI à Card. Tuscho *lit. C. concl. 100. n. 1.* appellatur.

2. Ita ut de eo merito dicatur, quod olim interroganti Pyrrho Epirotarum Regi de Ethnico Romanæ tunc supremæ Reip. Senatu respondit: *Urbem Romanam Templum sibi visum, Senatum Regium, Senatores quot, tot Reges.*

3. Hujus Collegii Caput olim erat antiquior ratione suæ ordinationis inter sex Cardinales Episcopos, & *Prior*, deinde *Decanus* Collegii Cardinalium dicebatur.

4. Nunc per Pauli IV. Constitutionem quintam: cum *Venerabiles* Decanus Collegii S. R. E. ad Episcopum Cardinalem

lem

lem antiquiorem in Curia tempore vacationis præsentem, aut ex causa publica absentem, & à Summo Pontifice ab legatum pertinet.

5. Præcedit Decanus cæteros in sessionibus, functionibus & actibus publicis. *cit. Const. cum Venerabiles §. 4.*

6. Traditur novo Decano altera Clavis portarum ærarii in Arce S. Angelæ constituti, altera Thesaurario Secretario Summi Pontificis, præstito juramento de non extradendis clavis, nec extrahenda pecunia, nisi in casibus præscriptis & tunc nisi consensu duarum partium Cardinalium sub pœna excommunicationis. *Sixtus V. Const. 31. Ad clavum,*

7. Si contingat, ut Decanus discedat ab Urbe ultra 40 miliaria, vocare ad se debet Secretarium, qui claves acceptas statim deferat alteri in ordine succedenti. *Urbanus VIII, in decreto 1626. edito.*

8. Unus è Cardinalibus semper est Camerarius sacri Collegii per annum, quo decedente succedunt alii præsentem in Curia ordine antiquitatis; Estque distinctus à Camerario S. R. E. seu Pontificis.

9. Officium illius est curam habere isto anno reddituum sacri Collegii, ex quibus, dum officio decedit, suam cui

que Cardinali distribuit portionem; Absentes verò reditus dimidii tantum anni, postquam Roma discesserunt, percipiunt. *Lunador in rel.*

10. Habet præterea Collegium hoc Secretarium Clericum Nationalem & computistam. Secretarius qui & Clericus Italus dicitur per fabarum suffragia eligitur non nisi ex Natione Italica; Hic curam habet librorum omnium & scripturarum ad hoc Collegium pertinentium, easque conficit ac duplicat, & Originalibus in Archivio, quod est in Palatio Apostolico, repositis, duplicatum ad usum quotidianum penes se retinet.

11. Urbanus VIII. ordinavit *const. 53.* Admonet nos ut hic Clericus Italus & Secretarius exercent quoque Officium Secretarii Congregationis Cardinalium super provisionibus Consistorialibus deputatorum, & acta ipsius Congregationis describat, reponatque in Archivio Collegii Cardinalium in Palatio Vaticano erecto.

12. Est hic Clericus Italus & Secretarius Pontificis familiaris & continuus Commensalis, ideoque vestes violaceas ad instar Cubiculariorum honoris gestare potest, eique portio quotidiana ex Palatio Apostolico datur. *Urbanus VIII. cit. Const.*

13. In-

13. Interest quoque Secretarius Congregationibus Generalibus, cum omnes Cardinales præsentés conveniunt, aliisque particularibus, cum Capita solum Ordinum congregantur, & annotat Decreta, quæ in iis formantur.

14. Asservat quoque Registra Resolutionum, quæ fiunt in Consistoriis secretis, eique traduntur à Cardinali Camerario sacri Collegii.

15. Intrat vero & ipse Secretarius Consistoria secreta in habitu rubro & oblongo ab terram usque ex lanâ confecto. Sed cum dicitur *Extra omnes* exit & ipse è Consistorio *Lunador. in rel.*

16. Pro emolumento suo accipit Secretarius à singulis Cardinalibus in promotionibus eorum viginti quinque Ducatos auri de Camera, totidemque in obitu Cardinalium ab hæredibus eorum *Paulus V. Const. 112. Fides.*

17. Clericus Nationalis eligitur quoque per suffragia fabarum. *urbanus VIII. cit. Const. 53.* ex quatuor Nationibus, per vices, videlicet Germanicâ, Hispanicâ Gallicâ & Anglicâ, quamvis à temporibus Schismatis & hæresis Anglicanæ ex Natione Anglica nemo fuerit.

18. Est substitutus Secretarii, hoc

enim impedito ipse supplet. Assistit in Consistorio simili vestitu, quo Secretarius,

19. Officium illius durat per annum, quo evoluta succedunt reliqui per ordinem ex dictis Nationibus. *Urbanus VIII. l. c. Lunador in rel.*

20. Percipit quoque in promotione novi Cardinalis viginti quinque ducatos auri de Camera, totidemque, cum Cardinalis moritur, ab hæredibus illius. *Paulus V. cit. Const. 112.*

21. Computista rationes init acceptorum, & expositorum de redditibus sacri Collegii, easque reddit Cardinali Camerario. Hic quoque à quolibet Cardinali recenter creato accipit intra mensem à die creationis viginti quinque ducatos auri de Camera, totidemque à Cardinalibus è vivis decedentibus, vel ab hæredibus illorum. *Paulus V. l. c.*

22. Ex hoc Collegio Cardinalium eliguntur, qui primariis in Curia Romana præpositi sunt officiis, ut sunt: Vice-Cancellarius. S. R. E. Camerarius, major Pœnitentiarius, Vicarius Papæ, Bibliothecarius, Præpositus officio sacrae generalis Inquisitionis, alique, de quibus singulis infra suis locis.

23. Horum tamen Officiorum ratione

D

non

non sortiuntur aliquam prærogativam
in iis, quæ spectant ad Officium Cardi-
nalem in eorum Collegio *Seraphin.* De-
cis. 716. n. 6.

24. Ex hoc Collegio nominantur
quoque Legati, qui de Latere dicuntur
c. Decreto. c. Si quis Episcopus. 2. q. 6. De his
ergo hic quædam tradenda sunt.

§. II.

De Legatis & Nunciis Sedis
Apostolicæ.

1. Cur Legati & Nuncii mittantur.
2. Aliqui sunt merè Nuncii, & non Judices.
3. Aliqui sunt Judices vel cum jurisdictione so-
lum temporali.
4. Vel cum jurisdictione Spirituali ad certas so-
lum causas.
5. Aut etiam generali, & horum tres sunt species
6. Legati à Latere qui? & ad quos mittantur.
7. Legati nati qui?
8. Talis olim fuit Thessalonica & in Africa.
9. In Bætica, Lusitania & Francia.
10. In Aquitania superiore & inferiore, in Pro-
vincia Viennensi, Lugdunensi & Arelatensi.
11. Quis in Hispania, Anglia, Scotia, Polonia
Hungaria & Germania.
12. Legati missi Apocrisarii appellati, non sunt
Cardinales, nunc Nuncii Apostolici dicuntur

13. Sum

13. Sunt tamen cum potestate Legati à Latere.
14. Ad quæ loca nunc mitti soleant.
15. Rex potest esse Legatus Sedis Apostolicæ.
16. In quibus conveniant Legati & Nuncii.
17. Et in quibus discrepent.

I.

CUM ad Sedem Apostolicam universali Orbis causæ & negotia, quæ ad jurisdictionem Spiritualem & Ecclesiasticam spectant, deferantur, nec omnia in Curiâ Romanâ & absentia eorum, quorum interest, expediri possint, necesse fuit Nuncios & Legatos ad varia loca pro necessitate ablegare. Mittuntur ergo à Pontifice nunc Cardinales, nunc alii de Clero, aut Curialibus Romanis, qui aptissimi judicantur. c. 1. & 2. Dist. 84. c. Decreto. 2. q. 6.

2. Horum aliqui sunt *merè Nuncii*, & *non Judices*, qui pro aliqua *ambasiatâ*, ut vocant, vel ad aliquod nudum ministerium exercendum mittuntur, v. g. Ad excipiendum aliquem Monarcham. c. Jus gent. Dist. 1. Nobilissimus dist. 97.

3. Quidam sunt *Legati Judices*, iiq; vel habent jurisdictionem solum temporalem, & *Gubernatores* dicuntur, ut qui ad provincias, vel civitates status Ecclesiastici mittuntur, quales sunt Legati

Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinateſis & Æmiliæ ſeu Romanodiolæ.

4. Vel habent jurisdictionem ſpirituaſem, eamque vel delegatam ad certas cauſas & negotia, ſivè Spiritualiſia ſivè etiam ſæcularia, & à Concilio Sædicenſi *Can. 3. & 5. ἐπιγνώμονες*, id eſt *Cognitores* appellantur, erantque Commiſſarii à Papa delegati ad partes, ut cauſas controverſas, maximè quæ per appellacionem ad Sedem Apoſtolicam devolutæ erant, inquirerent, aut judicaret. *Caſſut. Notit. Concil.*

5. Vel generatim habent jurisdictionem ſpirituaſem eamque ordinariam, horum Legatorum tres ſunt ſpecieſ. Alii enim ſunt de Latere, alii nati, & miſſi. *Gloſ. in c. 1. de Officio Legati & eod. in 6.*

6. Legati de Latere dicuntur Cardinales, qui de Latere Papæ, cui ſemper aſſiſtunt, mittuntur. *c. Decreto. c. Si quæ Episcopuſ. 2. q. 6.* Et tales ſæpe miſſi ſunt à Pontificibus ad Synodos tum generales, tum particulaſes, ut illis nomiſi ſuo præeſſent; *Cum enim* inquit *L. Papa epiſt. 14. ad Fauſtum, propter cauſam fidei, quam Euticheſ perturbare te*

ta

tavit, de Latere meo mitterem, qui defensionem veritatis assisterent. Aliquando etiam mittuntur Legati à Latere ad Imperatorem, Reges, magnosque Principes, pro pace inter eos reducenda, aut rebus Ecclesiæ procurandis, juribusque Romanæ Ecclesiæ defendendis.

7. Legati nati sunt, qui Legationis Titulum & officium habent ex Privilegio Apostolico vigore dignitatum & Ecclesiarum, quas obtinent. Dicuntur nati, quia statim, ut Ecclesiis suis præficiuntur, hic Titulus cum officio illis adnascitur.

8. Ejusmodi Legatum seu Vicarium constituit olim Leo Papa *Epist.* 84. Anastasium Thessalonices Episcopum per Asiæ Provincias, addens Anastasii Prædecessores fuisse similiter Prædecessorum Romanorum Episcoporum Vicarios seu Legatos. In Africa olim fuit Legatus Episcopus Carthaginensis. *Azor.* p. 2. l. 5. c. 27.

9. Hormisda *Epist. ad Salustium* constituit Hispalis Episcopum per Bœticam & Lusitaniam Vicarium seu Legatum Apostolicum. In Francia Legatus natus constitutus est ab eodem Hormisda, teste Cabassutio, Archi-Episcopus Rhemensis,

cujus est Regem ungere, de quo *in cap. per Venerabilem S. verum, qui fil. sint Legit.*

10. In Aquitania superiori est Archiepiscopus Bituricensis, de quo *in c. ult. de major. & obed. & c. Exposuit de dilation.* In Aquitania inferiori Archiepiscopus Burdegalensis. In Provincia Viennensi Archiepiscopus Viennensis: In Lugdunensi Archiepiscopus Lugdunensis, de quo *bus c. Novit. de off. Leg.* Tempore Bonifacii I. & Gregorii I. Arelatensis Episcopus fuit quoque in Provincia sua Legatus Apostolicus, proindeque à Romano Pontifice pallium accipere consuevit *c. Galliarum 25. q. 2. c. Artaldus 8. q. 3.*

11. In Hispania Legatus natus est Archiepiscopus Toletanus. In Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, de quo *c. 1. de offic. Leg.* Talem se quoque profertur Archiepiscopus Eboracensis, de quo *c. 1. de appell.* In Polonia Gnesnensis Archiepiscopus. In Hungaria Strigoniensis. In Germania olim Magdeburgensis, nunc Salisburgensis. In Scotia Archiepiscopus S. Andree. Qui omnes in suis Provinciis tanquam Primates erant, & à Romano Pontifice pallium accipiebant.

12. Legati missi, olim Apocrifari graece, quasi Secretarii *Glos. in c. Sgnificati*

Si de Elect. &c. Septuaginta dist. 16. appellabantur, & ordinarie non erant Cardinales, nuncque recepto usu *Nuncii Apostolici* dicuntur, qui mittuntur ad Reges, Principes, Remp. aut aliquam Provinciam, vel ad negotia expedienda, vel jura Romanæ Ecclesiæ tuenda. Differunt ergo nuncii & Legati à Latere, quod hi Cardinales sint, non isti. *Glos. in c. de offic. Leg.*

13. Adjicitur tamen plerumque in eorum facultatibus hæc clausula: *Cum potestate Legati à Latere*, quæ juxta stylum Curia Romanæ additur mandatis eorum, qui fimbriam vestimenti Papæ attigerunt, seu qui ab eo mandatum vivæ vocis oraculo receperunt. *Hostien. in Summa de Legato.*

14. Tales Nuncii Viennæ in Germania, in Hispania, Francia, Polonia, Venetiis, Neapolis, in Sabaudia, Florentiæ, Colonia ad Rhenum, & Lucernæ in Helvetia residere solent. In iis vero Regnis & Principatibus in quibus ipse Princeps non residet deputatur à Papa Officialis aliquis sub nomine Collectoris, vel Internuncii seu Residentis, qui aliquam Nuncii speciem præferat, eique facultates majores, vel minores pro diverso stylo

Stylo communicari solent. De Luca Re
Rom. Disc. 4. n. 16.

15. Rex quoque esse potest Legatu
Sedis Apostolicæ, quemadmodum fuit
S. Stephanus in regno Hungariæ. In
noc. in c. Veniens V. Regis de præscript.

16. Porro in multis conveniunt Le
gati à Latere, nati, & Nuncii, & in mul
tis differunt.

Conveniunt I. Facta unius loci possunt
in alio loco suæ legationis explicare
c. Novit. 7. de off. Leg.

II. Statuta eorum perpetuo durant
etiam Legatione finita, donec revocentur.
c. fin. Nemini eod.

III. Legatione eorum finita, exspirat
jurisdictio delegati à Legato, vel
Nuncio, si citatio non præcessit. Cit.
Nemini.

IV. Habent jurisdictionem ordinariam;
Ideo morte Papæ non finitur. c.
in 6. De offic. Leg.

V. Collatio beneficii ab iis facta nulla
est, si non fuerit facta mentio beneficii,
quod impetrans obtinebat. c. fin.
in 6.

VI. Subdelegare possunt c. fin. §. Ca
terum de offic. Deleg.

VII. Poenas & multas ex delictis
provenientes Thesaurario tradere te
net

Re sentur, nec possunt Reis condonare.
Pius IV. Const. 43. Decret. Sixtus V. Const. 93.
Ad Romanum.

VIII. Non possunt concedere facultatem deferendi sclopeta manualia duobus palmis breviora. *Pius IV. Const. 49.*
Cum vices.

IX. Non possunt adiri in prima instantia, nisi pro causis ei specialiter delegatis. *Trid. Sess. 24. c. 20.*

X. Non possunt se intromittere in causa alteri à Papa specialiter delegata. *c. 2. de offic. leg.*

XI. Non possunt Episcopos transferre, unam Cathedralem alteri subicere, jus primatiæ alicui concedere, duos Episcopatus unire, vel unum dividere. *c. 3. & 4. De offic. leg.* Nec possunt Cathedrales reservare, vel conferre. *c. 4. in 6. de offic. leg.*

XII. In causam remissam ad Sedem Apostolicam non possunt se intromittere. *c. 5. de offic. leg.*

XIII. Non possunt alicui committere, ut recipiat resignationem beneficii, quod postea conferat. *c. pen. §. fin. in 6.*

XIV. Non possunt delegare causas non habentibus Canonicatum in Cathedrali, vel dignitatem aliquam, aut personatum, nec sint designati Iudices Synodales.

noda.

nodales contra *c. statutum 11. de rescript. in Clem. 2. eod. Trid. Sess. 25. c. 10. & Const. Greg. XV. Sanctissimus. Quia coarctantur à Constitutione majoris. Glos. fin. c. Clem. 2.*

17. Discrepant vero Legati à Laterano & reliqui Legati, vel Nuncii.

I. Præsente Legato à Laterano, reliqui Legatis executio officii inhibetur. *c. 8. de offic. Leg.*

II. Legati à Laterano possunt Archiepiscoporum, Episcoporum, & exemptorum electiones confirmare ex officio, imò & Patriarcharum, quod reliqui Legati nequeunt. *c. 36. De Elect. in 6. & ibi 3. And. & Franc. n. 2.*

III. Possunt in suis Provinciis omnino imò plus, quam Episcopi in suis Dioccesibus etiam potestate ordinaria. *Abb. c. 1. de offic. n. 2.*

IV. Ideoque concurrunt cum quovis Ordinario, etiam cum Patriarcha in conferendis beneficiis, quod alii Legati non possunt, nec faciunt. *c. 6. De offic. Legati & ibi Abb. c. 1. De offic. Leg. in 6.*

V. Possunt beneficia etiam Patronatus conferre, si Patronus sit Ecclesiasticus & jus aliunde habeat, quam ex titulo patrimonii, non autem, si Patronus sit Laicus, aut si Ecclesiasticus id habeat titulo

patrimonii. *c. 6. De offic. Leg. c. cum Dilectus de jur. Patron.* Hæc vero potestas conferendi beneficia non extendit se ad ea, de quibus specialiter disponitur in concordatis Germaniæ, vel aliorum Nationum. Alii Nuncii sine speciali mandato conferre non possunt beneficia; Nuncius tamen Hispaniarum habet facultatem conferendi beneficia, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum auri de Camera annuorum, vacantia in mensæ Apostolico *Othobon. decis. 221.*

VI. Semper & ubique Legatione durante absolvunt excommunicatos ob manus injectionem *c. Quod translatione 5. & c. Excommunicatis 9. de offic. Leg.* Nuncii in sua tantum provincia, & eos qui aliunde veniunt in provinciam; Legati verò nati ratione Legationis neminem ob manus injectionem excommunicatum absolvere possunt. *cit. c. Excommunicatis. 9.*

VII. Exercent jurisdictionem in Regulares exemptos. *Diana de immunit. Eccl. c. 16.* Non vero Nuncii, nisi habeant facultatem Legati de Latere, ut habent Nuncii Ultramontani. Nuncius Neapolitanus habet jurisdictionem per consuetudinem confirmatam per breve Pauli V. cognoscendi causas civiles, quæ moventur

ventur

venrur à secularibus contra Regulares
*Cong. Episc. 1616. 23. Jan. apud Nicolaum Can
 lib. 1. Tit. 30. de off. Leg.*

VIII. Possunt Archi-Episcoporum
 Episcoporum & exemptorum electione
 confirmare, non verò alii Legati. *c. S.
 Abbatem 36. Hujusmodi de Elect. in 6. De
 mum præminentiam habent in loco Le
 gationis suæ supra Prælatos omnes,
 etiam Cardinales, quam cæteri Nun
 cii non habent. De Luca, Relat. Cur, Rom
 Disc. 4. n. 11.*

C A P U T II.

De Concalvi & Electione Summi Pontificis.

INter omnes Conventus & Con
 gregationes quas S. R. E. Cardi
 nales celebrant, præcipua &
 celeberrima est, in qua Purpurati hi Pa
 tres Sede Apostolica vacante eligunt Ro
 manum Pontificem, & Ecclesiæ univer
 salis Pastorem. Hujus ergo Congrega
 tionis, seu Conventus descriptio reliquis
 meritò præmittenda est. Dicitur ergo
 primo de variis modis eligendi Papat
 alias in Ecclesia usitatis; Tum de for
 ma, quæ nunc in Electione observatur.
 Deinde describetur Conclave seu locus
 electio